



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici
Semestria duo**

Strauch, Johann

Jenae, 1675

Johannes Strachius Lectoribus S.D.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10224



JOHANNES STRAUCHIUS

Lectoribus

S. D.



E semestribus hisce
operæ esse non puto,
rationem ambitiosè
ut reddam: Malim
captui vestro id omne
permittere. De in-
scriptione hoc tan-
tum adjicio. Cum decennio abhinc Pa-
risiis mihi mittebatur ÆGIDII ME-
NAGII, Jcti præstantissimi, liber,
quem juris civilis amœnitates inscri-
pserat, adeo me & ipsum ceperat,
opus, & tituli amœnitas, ut postquam
è foro, quo tum occupabar, in Acade-
miam revocatus officii necessitate

):(2

juri

juri Canonico horas aliquas de die dare debueram, Menagium imitato mihi, idem præscribere & meis nomen visum fuerit. Quamvis verò & ab ingenio viri hujus, & argumenti prærogativâ me longè relinqui jam tum sentiebam, adeo tamen tenuere, quæ semel animum subierant, hæ pellecebræ, ut ne nunc quidem mutare velim. Cur verò Menagius operi suo titulum AMOENITATES fecerit, rationes ad Nublæum præfatione reddidit: Eas ex parte mihi, jurisque Canonici studio communes esse, forsitan non erravero, si mihi persuaserim: Sin erro, cogita & hoc tibi mecum commune esse, Lector. Quò magis, uti ego tuo te ingenio obsequi haut invitius patior, ita æquum puto ut tu quoque me meo. Jenæ xxix. Martii Anno Dom. clō Iōc LXXIV.